



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726

VD18 80217915

Artic. III. Instructio familiarior, qua excitentur magis simplices ad
devotionem erga sanctissimam Virginem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45581

ARGUMENTUM.

Instructio familiarior, quâ excitentur magis simplices ad devotionem erga Sanctissimam Virginem.

ARTICULUS III.

Quamplurimis occupamur negotijs in hac vitâ, quæ plerumque nullius sunt utilitatis, dum interim nonnisi unicum est nobis, & quidem absolute necessarium, & est illud salus nostra; si hoc curemus solite, sufficit, cæteris omnibus sepositis ac neglectis; & si id solum neglexerimus, fecimus nihil, quando cætera omnia auspiciatissimum sortita essent eventum; sed quidquid facere poterimus, nunquam faciemus satis, prout exposcit nostra ratio salutis.

Nihil habemus, cuius nobis interfit in teris, nisi salam neptium salutis nostræ.

Cum enim verum sit, quod DEVS nonnisi unicam mihi dederit animam; Eheu! Eheu! si perdam hanc, omnia sunt perditâ, & si ipsam perdidero, perdidit per omnem æternitatem; & solus aspectus jacturæ hujus æternæ tam est horrendus penitentiâ illam consideranti, ut mirum non esset, si moreretur ex horrore: Verumtamen si solam salvo animam meam, salvavi omnia; & si semel meam obtinui salutem, obtenta est in omnem æternitatem; & solus salutis meæ aspectus tam jucundus, tamque delectabilis est animæ meæ, ut si intendat & contendat aspicere

illam vivâ fide, illamque firmiter imprimere animo suo, ab hac sit abripienda & attollenda supra omnes res caducas, ut tandem nos cogeret excedere vivis. O DEUS! faciamus omnia, & patiamur omnia, ut evitemus æternam animæ nostræ jacturam. O mi DEVS! faciamus impossibile, & toleremus insupportabile, ut salvemus ipsam in æternum. Ecce id unicum necessarium.

Thrasilus, qui dicebat hæc voce altâ, & maximo accensus fervoris ardore, probè videbat, hæc verba permagnam peperisse in auditoribus suis commotionem, nec aliud ipsos expetere, nisi assecurare, quantum possent, magnum negotium æternitatis suæ: Dicit igitur illis; Nihil video, quod ita assecurare vos possit, sicut devotio erga Sanctissimam Virginem: Novi quidem, ipsam esse nec DEVM nostrum, nec Creatorem nostrum, nec Salvatorem nostrum; Novi non conferre illam nobis remissionem peccatorum, nec locupletare nos pretiosâ hac gratiâ, quæ nos Sanctificet; non pronuntiabit ipsa sententiam finalem, & nunquam revocabilem æternitatis nostræ;

R. P. Isaac Consiliarius. Tom. III.

Ccc. ccc.

JE.

JESU Christo soli exhibere nos oportet honores supremos, ac supremum cordium nostrorum amorem, & non illi, novi hæc omnia, & credo firmissimè.

Nihil post Deum ita assecurare potest salutem nostram sicut devotio erga sanctissimam Virginem,

Verùm novi quòque, non habiturum me accessum ad JESUM Christum nisi per illam; Novi salutem, quam ipse operatus est pro me, non fore mihi applicandam nisi per illam; Novi tandem, sanctam Ecclesiam à Spiritu Sancto gubernatam non decipi, quando indies ad Sanctissimam Virginem sese convertit in cunctis mundi partibus, suosque instruit filios, ut invocent ipsam velut Refugium peccatorum, velut Januam cœli, velut Matrem Misericordiæ, velut vitam suam, velut dulcedinem suam, velut spem suam. Estimo omnia hæc verba velut oracula cœli, quæ Spiritus Sanctus inserit ori Matris meæ, sanctæ Ecclesiæ, quæque me docet fiducialiter dirigere ad Sanctissimam Virginem: Gaudeo, me ita alloqui posse ipsam, meum id roborat animum; si enim hoc uti prokiberet idiomate tantam fiduciam non haberem salutis meæ: si hæc peccatorum Refugium non sua protenderet mihi brachia; si hæc janua cœli mihi non esset aperta; si hæc Mater Misericordiæ mihi suum occluderet sinum; si hæc vita, hæc dulcedo, hæc spes mihi tolleretur, ubi esset solatium meum, Refugium meum, fiducia mea?

Verùm nōne habes JESUM Christum penes te, interruptit Petronius, qui verum est Refugium peccatorum, verè Janua cœli, verè DEVS Misericors, vita tua, dulcedo tua, & firmissima spes tua? Ita fateor, respondet Thrasylus, JESUS Christus est nobis omnia; est thesaurus, qui complectitur omnes divitias temporis & æternitatis: Sed quid proderunt mihi hæc omnia, nisi habuero accessum ad ipsam? Et quòmodo accessum habere ad ipsum potero, nisi per Sanctissimam Matrem ipsius? Sic quidem quando manifestè video, me non habuisse Salvatorem nisi per ipsam, & ipsam produxisse mihi illum ex propriâ suâ substantiâ, quòmodo sperabo, me collecturum fructus salutis, nisi per ipsam Mediatricem? Non immeritò igitur tibi dico, devotionem erga Sanctissimam Virginem nobis omninò necessariam esse ad salutem nostram; & quantò majorem habuerimus devotionem, tantò nos habituros plus certitudinis, & consequenter neminem in mundo certiore esse de beatâ suâ æternitate, quàm illum, qui plus habuerit devotionis erga potentissimam hanc Mediatricem nostræ salutis.



§. I.

*Summè evitandi & timendi sunt, qui arguere
volunt devotionem erga Sanctissimam Virginem.*

Oleaster in **IN** antiquâ lege designaverat
cap. 15. **DEVS** certas civitates Refugij,
Nam. ubi omnes, qui rei erant mortis
ob commissum aliquod homici-
dium inopinatum, certissimi erant
de salvandâ vitâ suâ, quando illuc
fese recipiebant. Et oleaster re-
censet, sicut desumpsit ex antiquis
monumentis Hebræorum, quòd
DEVS, ut facile redderet hoc sa-
lutaris remedium miseris, mandave-
rit duo: Primum, ut omnes viæ,
quæ ducebant ad civitates illas,
redderentur planæ & faciles: Se-
cundum, ut, ubi occurrerent bi-
via vel trivium, quæ possent aliquem
directo tramite abducere, vel du-
bium de rectâ semitâ injicere, illic
collocaretur columna, quæ viam
monstraret, ut nemo aberrare pos-
set. Hoc sanè ingentis misericor-
diæ erat opus tempore legis, quæ
nonnisi rigorem spondebat.

Sanctissima Verùm figura id erat, inquit
Virgo est Sancti Patres, quæ pollicebatur
vera Civitas nobis in Lege gratiæ magnam
Refugij quondam Civitatem Refugij sem-
pro pecca- per apertam, ad recipiendum mi-
toribus seros peccatores, semperque di-
revelat, spositam ad conferendum ipsis cer-
lib. 6, titudinem salutis. Civitas hæc Re-
fugij est Sanctissima Virgo, uti af-
firmat sanctus Joannes Damasce-
nus, & sicut ipsamet revelavit

Sanctæ Birgittæ, dicens illi: Nemo
infelix ita oneratus est criminibus,
qui spoliatur subsidio maternæ
pietatis meæ, quique, si ad me
confugerit, non revertatur ad
DEUM per Intercessionem meam,
& tandem divinam ipsius obtineat
misericordiam. Intelligis hoc be-
ne infelix peccator, & credis id
firmiter.

Eccur igitur vecordi pusillanimitate de-
jectis? Cur parùm abest, quin in ipsam agaris desperatio-
nem? Eccur te ipsum fermè ob-
ruis immani mole tuorum crimi-
num? Surge, ambula, curre, sal-
va te in hæc nostrâ Civitate Refu-
gij, in quâ certus es, te non peri-
turum: Porrige manus ad Matrem
Misericordiæ, clama ad ipsam ex
medullis animæ tuæ, & ex intimo
ingemiscantis Cordis tui: Refu-
gium peccatorum! Refugium pec-
catorum! O asylum infelicitum pec-
catorum! O amabilis Civitas Re-
fugij, ubi scelerati inveniunt secu-
ritatem animarum suarum, & abo-
litionem suorum Criminum! de-
fende me ab inimicis meis, & cu-
stodi me à rigoribus Justitiæ DEI,
& fac, ut dum intorquet omnem
suam iracundiam adversum pecca-
ta mea, non disperdat pauperem
peccatorem. Ita, privilegium hoc
est,

est; Admirabilis hujus Civitatis Refugij, modò confugeris intra muros ipsius, non habes, quòd metuas; Sed ne metuas egredi ex illà, modò ejicias peccatum è penetralibus cordis tui; incassum opponet se Dæmon, nihil hinc poterit.

Volebat Deus faciles & securas reddi vias, volentibus se salvare in Civitatibus Refugij; & modò vult omnibus esse accessum tam facilem ad Matrem Misericordiæ (quæ vera est nostri Civitas Refugij) ut parvuli etiam infantes noverint viam, quæ ducit ad ipsam, mox ubi cæperint ambulare: Illicò enim pronuntiate docentur *Ave MARIA*, ubi primùm didicerint aliqua effingere verba; per quod mox à teneris instruuntur sanctissimam invocare Virginem; Et tandem hæc maximà ex parte est oratio; quam frequentius persolvunt per totum decursum vitæ suæ.

Inveniuntur autem & bivia in vijs eorum, id est, viz obliquæ, quæ volent abducere eos, & avertere à devotione erga Sanctissimam Virginem: Eheu! adhuc in malè auspicato nostro sæculo inveniuntur, qui sub falso obtentu speciosæ pietatis, quæ æmulari videtur gloriam JESU Christi, se opponunt gloriæ sanctissimæ Matris ipsius, quasi Filii & Mater utriusque sui non amarent gloriam, & infirmitas Zelotypiæ humanæ accessum haberet ad corda ipsorum.

Ante aliquot annos astiti cuidam Concioni in celebri aliquo loco com-
ram frequenti coronâ populi, quàm
declamabât Vir quidem spectabi-
lem tenentis locum in Ecclesiâ, qui-
que sui temporis habebatur oracu-
lum. Audivi tunc loquentem ip-
sum de devotione erga Sanctissi-
mam Virgineam, ea omninò ratio-
ne, quasi cuperet ipsam reprehende-
dere, volendo tamen à publicâ
censurâ se reddere immunem: Et
ecce dolum, quo utebatur, & ma-
litiolam eloquentiæ ipsius frau-
dem.

Movebat quæstionem; Quidnam esset devotio? Devotio, inquit, fratres mei, est actus virtutis Religionis: Jam religio respicit Deum; Devotio ergò similiter Deum respicit; erga Deum igitur habere oportet devotionem. His dictis siluit paulisper, ut tantò melius observarent auditores totum hoc principium, quòd ponebat, cuique superadificare volebat totum suum machinamentum: Exin interrogabat eos voce familiari: Intelligitis bene hoc? advertitis bene, quid vobis dicam, quòd nempè erga Deum oporteat esse devotum? Et ex hoc resumens suum discursum tònò quodam imperioso; ubi sunt, inquit, ij, qui dicant se esse devotos Sancto Petro, devotos Sancto Joanni, devotos Virgini? Exin profundè inclinans se versùs auditorium, aperuit totam amplitudinem oris sui, quæ
erat

Historia
memoran-
da, sed de-
ploranda,
cujus celsis
oculatus est
Auctor.

Advert
horren
scandal

erat à naturâ admodum magno, & voce, quæ referebat paulisper mugitum tauri, interrogavit eos: Hem, an Sanctus Petrus est Deus? longiusculo tempore ultimam producens syllabam, ut tantò majorem conciliaret commotionem: Et Sanctus Joannes an est Deus? Et Virgo estne DEUS? Est ne illa Deus? Non, fratres mei, Virgo non est Deus, non, ipsa non est Deus, erga Deum oportet esse devotum, Virgo non est Deus: post hæc totum erectum se tenens, arripit duâbus manibus quadratum suum pileolum, ipsumque collocans ad extremitatem pulpiti, se disposuit ad faciendum maximam quandam commotionem, ita ut omnes etiam se disponerent ad auscultandum eandem, manentes quasi suspensi, & nescientes, quid vellent dicere.

Adverte
horrendum
scandalum.

Deinde sic erectus & aperto capite, junctis manibus, & digitis Crucis in morem sibi invicem implexis, concusso fortiter capite à vehementiâ passionis ipsum agitante exclamavit ex totis viribus suis: Deus Omnipotens, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, mi Creator, & Supremæ mi Domine: Ex cunctis facultatibus animæ meæ, extoto ardore zeli ac fervoris mei, & ex totâ fortitudine vocis meæ publico proclamo, pronuntio anathema, maledictionem, damnationem æternam in omnes, qui devotos se esse dicunt Virgini. Audivi

hoc cum duobus millibus alij, & attonitus hæsi, sicut & ipsi.

Sed ille cum probè adverteret, auditorio suo non placere tam absurdam propositionem, ut se aliquo modo extra culpam poneret, efformans gestam manu per modum contemptus, multò submissiori voce dixit, neglectam & valdè celeriter, quasi simulatè: Novi Fratres mei, distinctionem Theologorum; est devotio suprema & subalterna, suprema est pro DEO, subalterna reddi potest Virgini; & per hoc præstare se voluit securum; dicebat enim veritatem, sed afferebat tam leve fomentum pro enormi plagâ, quam fecerat, ut nemo exin fuerit mitigatus; nescio etiam, an plures id adverterint.

Scio tamen, commotionem, quam excitavit in animis, per fulminationem tam impetuosam, tamque patheticam suorum anathematurn, contra eos, qui devotos se dicunt Virgini, fuisse tam magnam, ut incola quidam Civitatis, quem noveram, domum reversus, ubi invenit sororem suam, quæ Sanctissimæ Virgini erat devotissima, mox ingenti invaserit ipsam & salvaverit injuriâ, dicens illi: Si videro deinceps unquam devotam te esse Virgini, infringam tibi caput, & si invenero penes te rotarium, projiciam id in ignem; Unam altitissiles concioni, quam audivi, nolles profectò amplius Virgini esse

ccc ccc 3 devo.

devota; siquidem id est, esse excommunicatum, &c.

Judicare jam potes ex hoc Exemplo, quod refero, sicut ipsemet vidi, quanta sit malitia hostium occultorum Virginis Sanctissimæ, quamque nocivi sint effectus, quos

suis producant fraudibus, absque comparatione peiores, quam quos profert bellum apertum manifestorum inimicorum ipsius, quibus proinde expectandum aliud non est, quam confusio æterna.

* *

§. II.

Confusio eorum, qui volunt esse devoti Sanctissimæ Virgini.

Justa reprehensio inde vororum erga sanctissimam Virginem,

Si in medio immensæ hujus gloria, quæ circumfundit illam, quæque ubivis impenditur illi; si in magno hoc splendore, qui ostendit illam toti Ecclesiæ, sicut ipsa apparuit Sancto Joanni, totam amictam sole; si in universali hoc concursu omnium ætatum, omnium regnorum, omnium conditionum & statuum declarantium se ipsi devotos, ipsiusque fideles servos inveniretur quisquam in particulati, qui opponere se ausus, torrenti universali, contradiceret, reprehenderet, despiceret occultè in corde suo devotionem tam sanctam, tamque approbatam & confirmatam à Deo, ab Angelis & hominibus, pro quo habendus foret? Nonne dici deberet ipsi?

Patve vermicule terræ, an subversam in te solum putas totam machinam orbis? Patve abortus nihili, an extincturum te credis gloriam, quæ replet cælum & terram? Impie emissarie inferni, quis igitur es, ut eruere contendas è

corde Christianorum, devotionem, quæ non minores radices egit in ipsorum animabus, quam illa, quæ prosequuntur ipsummet JESUM Christum? Nonne moliri te vides rem impossibilem? contra quam cum infernus jam millies vanos suos exerere tentaverit aditus, cum omnes hæreses omnem suam exonerarint rabiem ad destruendum ex integro illam, quin tamen unquam imminuere illam poterint vel in minimo; imò potius servièrunt hæc omnia, sicut aquarum guttæ projectæ in fornacem fabri fertatij succendunt illam magis; tu solus non conficies id, quod omnes simul conficere non poterunt.

Nonne jam tempus sit tuum agnoscendi errorem, tuamque impotentiam? Nonne tempus sit dicendi ex affectu veri doloris & sinceræ humiliationis, id quod dixerunt Judæi è furoris & desperationis vehementiâ, postquam tantis persecutionibus profciderant JESUM

SUM

Joh. 12.
1, 12,

SUM Christum: Videtis, quia nihil proficimus; Ecce mundus totus post eum abiit; Video bene, tempus esse perditum, nosque affecturos nunquam, ut avertamus mundum ab ipso; quanto magis enim id efficere contendimus, tanto magis augeri videmus turbam sequentium ipsum.

Nonne similiter videmus, devotionem erga Sanctissimam Virginem augeri & perfici indies, numerumque eorum, qui totos se ipsi devovent, illam honorant, illi serviunt, manifestè excedere per vanas impiorum, qui illam incassum imminuere conantur, oppositiones? Quid lucraberis adherendò sceleratæ turbæ? quid honoris, quid voluptatis, quid emolumentum hauries exinde? Quid honoris, dum reddis te odiosam ac despiciabilem omnibus viris bonis? Quid voluptatis, dum circumfers animam inquietam, & millenis implexata fastidijs, dumque tui ipsius tantò afficeris pudore, ut abscondere te oporteat, ac celare pessima mentis tuæ sensa? quid emolumentum, dum manifestas tibi ipsi comparas finalis reprobationis notas; dum tecum te facis innumerorum scelerum, coram terribili judicio Dei; dum intendere non potes alijs præmijs laboriosæ defatigationis, quàm illis damnationis æternæ? Pondera enim paalisper, an magnus Judex vivorum & mortuorum severissimè castigaturus non sit

injurias Sanctissimæ Matri suæ illatas?

Hem! Fratres mei, liceat hinc mihi vobis pauca loqui juxta sensum meum, (sicut magnus Apostolus loqui desiderabat Corinthijs.) Obsecro vos per misericordiam JESU Christi, & per mansuetudinem dulcissimæ Matris ipsius, si ipsorum non tangit vos miseratio, tangat vos saltem miseratio vestrum ipsorum; respicite vos velut errabundum quendam in horrido quodam deserto, qui nesciat, nec ubi sit, nec quid faciat, nec quo sit eundem, & vestros levantes oculos versùs montes sanctos, aspiciat Sanctissimam Virginem totam Majestatem & gloriam circumfusam, ac secum & post se deducentem totam innumerabilem multitudinem prædestinatorum, & dicite vobiscum ipsis: *Ecce mundus totus post eum abiit*: Anima mea, nonne vides omnes currere post illam? hi omnes qui frequentant viam cæli, ipsius se consecrant servitio, & singulari erga ipsam devotioni: an melius facere posses, quam illorum accensendò te societati? An certiorum obtinere posses salutis tuæ securitatem, quàm imitandò tam egregia exempla, & quæ illorum more devoventi ex toto corde tuo devotioni erga potentissimam hanc Mediatrix salutis hominum?

Aspice, quam tandem affecti sint metam ij omnes, qui hanc frequentarunt semitam: Videbis

Exhortatio
efficax ad
devotionem
erga sanctissimam
Virginem

eos omnes in cœlo cum ipsâ, ubi illam laudabunt, illi gratias exsolvent in æternum de eo, quod obtinuerint gratiam, & gloriam, & possessionem Dei per potentissimam ipsius intercessionem. Nonne melius sit imitari Sanctum Bernardum, Sanctum Ildephonsum, Sanctum Anselmum, Sanctum Bonaventuram, Sanctum Bernardinum, innumerôsque alios Sanctissimæ Virgini devotos Clientes, quàm sequi aliquem Ebionem, aliquem Nestorium, aliquem Jovinianum, aliquem Helvidium, aliquem Lutherum, tuncque alios infames hæreticos, qui sese declararunt inimicos devotionis erga sanctissimam Matrem Dei? Nonne vides, ipsorum memoriam esse execrandam in mundo, dum interitum illorum animæ ardent & furunt ex desperatione in inferno?

Prospice rebus tuis, anima mea, probè attende, de quo agatur: non quæro ex te, an petere velis in æternum, novi enim, te id velle non posse: Statuo ergò tecum imitari Exempla Sanctorum, & deinceps devotissimus esto Sanctissimæ Virgini. Et in primis concipe in animo tuo maximam æstimationem, & in corde tuo ardentissimum amorem erga illam; & exinde declara palam, te spectare ad ipsam, tuum dans nomen alicui Confraternitatum ipsius celebrium magis, magisque approbatarum ab universâ Ecclesiâ: Exhibe indices

speciale aliquod ipsi obsequium, nec id unquam intermitte; omnia ipsius Festa singulari cum devotione celebra, te disponendò per jejunium & pœnitentiam, ad recipiendum dignè in Communione Benedictum fructum Ventris ipsius; porta tecum Rosarium illius idque sæpè recita eâdem cum reverentiâ, ac si ad pedes ipsius jaceres prostratus. &c.

Hanc exhortationem pronuntiavit Thrafilus tantò cum zelo, tantaque delibutus Spiritus Sancti unctiōe, tamque diu produxit illam, accumulans rationes rationibus, argumenta argumentis: ut omnium inflexerit corda, eosque ipsèdem suis imbuerit affectibus ac sensibus, totidem ex illis faciens magis ac devotos Sanctissimæ Virgini clientes atque Cultores: apparebat autem tam manifestè, ipsos omnes persuasos esse ac Convictos, ut legi potuerint in ipsorum vultibus proposita ac Consilia, quæ unusquisque formabat interitus: Quilibet ipsorum formate videbatur in particulari promissionem, quæ par erat voto, quòd totâ vitâ suâ ex integro consecrare se vellet ipsius honori, ipsius devotioni, ipsiusque servitio; Et ut media huc pertingendi illius redderet facilia, conclusit totam Consultationem afferendo illis Exemplum, in quò vera declaratur praxis devotionis erga Sanctissimam Virginem.

Nota.

exercitium
ere &
ille utile
imita-
an ab que
ormilho-
ritates
ctiffimæ
ipich.
yffidie-
cepti-
uz.

Notamibi erat, inquit illis, ani-
maz quædam admodum devota san-
ctiffimæ Virgini, quæ confecerat
sibi ipsi aliquam hujus imitationis
methodum, quam à Confessario
suo approbatam fidelissimè man-
davit executioni, fructumque ex
illâ hausit maximum. Incipiebat
ipsa Exercitium suum à Die Sabba-
thi, velut die, quæ specialiter de-
votiori Sanctiffimæ Virginis con-
fecratur, & hæc die proposuit sibi
imitationem profundæ ipsius hu-
militatis, quam aspiciebat velut
fundamentum necessarium, sine
quò nec ædificari, nec stabiliri pos-
set unica virtus in animâ; & hæc
etiam virtus est, quæ attraxit ocu-
los Dei supra Sanctiffimam Virgi-
nem: *Respexit humilitatem ancille
sua;* Omnia ipsius exercitia rende-
bant hæc die ad magnum sui ipsius
contemptum; unde & tandem e-
vasit humillima.

Die Dominicâ, quâ solemne sibi
habebat Sacramentum communionis,
aspiciebat admirabilem ipsius Ma-
ternitatem, Virginali ipsius parita-
ti conjunctam, quam imitari cona-
batur, recipias in illâ maximâ
quâ poterat cum puritate, eundem
Filium Dei incarnatum, quem san-
ctiffima Virgo in Virgineo suo por-
taverat utero, & convertens eadem
ratione cum ipso, quâ credere po-
terat id fecisse Sanctiffimam Vir-
ginem.

Die Lunæ considerabat arden-
tem illam tornacem amoris divini,

R. P. Hans Caspular. Tom. III.

qui æstuabat in corde Sanctiffimæ
Virginis, dum inclusum gerebat
illum in sinu suo; & hæc die non-
nisi continuas exhalabat aspiratio-
nes modo erga JESUM CHRIS-
tum, cui dicebat ea omnia, quæ
amor ipsi suggerere tunc poterat;
modo erga Sanctiffimam Virginem,
apud quam conquerebatur sæpius
dicens: Sanctiffima Virgo, ama,
ama illum pro me & te; ah! quòd
amare ipsum non possum, sicut tu!
Eheu da mihi parùm quid ex hæc
abundantia.

Die Martis proponebat sibi Ex-
emplum incomparabilis charitatis,
quæ sanctiffima Virgo prosequen-
tur omnes miseros mortales, &
comparans illam cum infinito amo-
re Dei Patris, de quo scriptum est:
*Sic Deus dilexit mundum, ut Fi-
lium suum Unigenitum daret,* diri-
gebat eadem verba ad sanctiffimam
Virginem. Itane ergo, ô Mater
Admirabilis, dilexisti mundum, &
ita dilexisti me in particulari, ut
mihi dares Filium tuum Unigeni-
tum, hæc me beas felicitate, ut
sæpius recipere mihi liceat ipsum
in sacra Communione. Et ut imi-
taretur ipsam, inquirebat magno
cum zelo occasiones exhibendi
proximo omnia bona, quæcumque
poterat.

Die Mercurij aspiciebat Sanctif-
simam Virginem velut ambulan-
tem in terris, & nihilominus con-
vertentem semper in cælis; Con-
siderando scilicet ipsius recollectio-
nem,

D d d d d

nem,

nem, ipsius modestiam, ipsius mansuetudinem, ipsius silentium, atque continuam presentiam DEI memoriam; dumque perpendebat; quâ ratione omnes suas perficiebat actiones, imitati conabatur ipsam in interiori & exteriori compositione suâ, ac si semper presentem haberet ipsam oculis suis, & quantum poterat, omnes actiones suas eâ ratione perficere satagebat, quâ perficere videbat ipsas Sanctissimam Virginem.

Die Jovis ruminabatur continua fervitia, quæ Sanctissima Virgo exhibuit JESU Christo per totum discursum vitæ suæ, cum non fecerit, nisi unicum solum necessarium, & renuntiaverit universaliter cæteris omnibus, ut non nisi unice devoveret se ipsi soli: admirabatur in hoc ipsius felicitatem, hanc sibi exoptabat, & sanctâ quâdam etiam ipsam ferebatur invidia. Anima mea, dicebat sibi ipsi, in hac fidei imitatione constituere te oportet devotionem tuam precipuam, deseramus omnia, & non sumus, nisi solius JESU Christi: Quid nobis est opus reliquis, omnia transeunt, omnia inutiliter nos occupant, omnia evanescent veluti fumus: JESUS Christus solus sufficit mihi; per solitudinem, silentium, separationem ab omnibus creaturis, subducamus nos, quantum possumus, cunctis vanis occupationibus mundi, ut non simus nisi illius.

Die veneris sequebatur Sanctissimam Virginem usque ad Montem Calvaria; eumque intendere contemplationi ipsius juxta crucem, quæ tota similis erat passioni Filij sui Unigeniti, & aspiceret Martyrium amoris, quod susferebat ipsa in corde suo, nitebatur eisdem cum ipsâ induere affectus & sensa; moriens ex amore Filij & Matris mundo, ipsius desiderijs, ipsius affectibus, sibi ipsi, & omnibus ijs, quæ Deus non sunt ut viveret amplius nisi Deo soli. Aspiciebat ipsa sepositam loco Sancti Joannis, cui JESUS Christus moriens Sanctissimam suam donavit Matrem, velut totam hereditatem, quam possidere debebat in terris; dicens ipsi: *Ecce Mater tua; & Evangelium dicit: Accepit eam discipulus in sua*; id est, quod receperit ipsam solam pro omnibus bonis: desuper renovabat & congeminebat vota sua, quibus exoptabat per totam vitam suam devoveri servitio Sanctissimæ Virginis, recipere ipsam in suam Matrem, & semper imitari illam pro viribus.

Exercitio ipsius hebdomadario ita feliciter absoluto, incipiebat sequenti hebdomate, eadem ratione, sed novo prosus fervore & majori fidelitate, se semper magis excitulatam experta è fructu, quem inde hausit, copiosissimo *aspice & fac: aspice hoc exemplum,*

plum, & sequere illud, si vere devotus es Sanctissimæ Virginis: Benedicet te Deus æternum,

si inchoaveris & continuaveris hoc exercitium, quod omnino Sanctum est.



CONSULTATIO XXX.

Corona, ubi agitur de Coronatione Sanctissimæ Virginis, quæ etiam est conclusio & Corona totius Hujus operis.



Ale dicere volebam Charitativo meo Duxtori, qui duxerat me semper, mihi que addiderat animos mox ab initio itineris, quod suscepi, ut cognoscerem vastissimam amplitudinem excellentiarum Sanctissimæ Virginis. Sperabam à principio; me facile cogniturum illas, favente insigni doctrinâ, quâ noveram pollere ipsum; saltem confidebam, visurum me illarum præcipuas, quarum pulchritudinem exin considerare possem præ commoditate meâ; sed deinceps expertus sum, spem meam fuisse vanam, nimiumque debiles meos oculos ad supportandum tantorum solum splendorem. Si quidem verum est, modicum hoc, quod exin videre potui, esse serè nihil in comparatione cum rebus tot alijs perquam pulchris, quas non nisi admodum à longè percipi, quæque me, cum viderentur

mibi velut ignes Montis Vesuvij, nec Montis Atnæ, quibus appropinquare audet nemo, ne forte consumatur, tam magno, sed æquo perculserunt timore, ut abire illas permiserim, admirando tantum easdem, & maluerim honorare illas venerabundo silentio, quàm profanare discursu humili & abjecto, sicut cum cæteris feci, ubi non immeritò vereor, me debitâ reverentiâ profectum non fuisse tanti Majestatem argumenti.

Inerim aspiciens me, uti credebam, ad metam itineris mei, persuasus, quod amplius sequi non possem Sanctissimam Virginem, eoque quod cælum rapuerit illam ex interiori hoc mundo, putabam, aliud mihi amplius agendum non restare, nisi ut applauderem ipsi de summâ, quâ replebatur, felicitate, meamque possiderem animam in pace contemplando pacem Animæ ipsius. Et hinc amplius nil meditabar, nisi grates respondere illi, qui tot bona mihi

D d d d d 2 im.